

M. an)

12



SERENISSIMI

AC POTENTISSIMI REGIS ANGLIAE CHRI
stiane fidei defensoris invictissimi, ad illustissimos ac cla
rissimos Saxonie principes, de coercenda abigen
daq; Lutherana factione, & Lutheru
ipso Epistola.

ITEM ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS
Ducis Georgij ad eundem Regem rescriptio.

TANNO. M. D. XXIII.



V316
2 W.R.
¶ Reuerendissimo in Christo patri ac Domino D. Ioanni de Schleinicz San-
cte & ingenuae ecclesiae Misericordie, præfuli dignissimo. Hieronymus Emser eius
dem ecclesiae presbyter cum obedientia debita felicitatem in domino
sempiternam.



Vllus poterat cum mibi tum uniuerso gregi tuo Reuerendissi-
me in Christo pater ac Domine, tam optatus aduentre nuntius:
quam is qui R.T.P. ex Italia reducem, saluamq; adesse nuncia-
uit. Quid enim tam optandum gregi, inter medios lupos dispa-
lanti: quam pastoris sui praesentia? Eius precipue, qui animam
suam pro ouium suarum salute, tam manifestis exponere periculis, domi foris-
q; non dubitarit. Neq; enim memoria nobis excidit, quam indigna ab im:probis
iam olim passa sit. R.T.P. dum causas ouium, boni pastoris instar, circuaret ac
muniret contra luporum quorundam fœnitiam: Neq; ignari sumus hanc ipsam
etiam peregrinationem, per tetricosas alpium salebras, per tot itinerum anfra-
ctus, tot pestilentissima loca, & infidias nullo non loco timendas, nostra causa
suscepimus. Quo fit: ut officio suo cuiq; saluo:meum ipse his literis non declar-
are non potuerim. Ut enim R.T.P. tot tantisq; periculis fœliciter superatis, &
dem uehementer gratulor: ita mihi ipse gaudeo: qui miles in Hebreorum, con-
tra Philistæos istos, castris, qualis: qualis præsente tamen spectanteq; Duce ac
principe meo, alacrius multo pugnaturus sum, sive Framea, sive Acinaces, seu de
uiq; gladio, non gladiatorio, sed spirituali: quod est uerbum dei. Ut autem Reue-
rendissimus dominus meus tot mortuum ac pontium, terrarum ac fluminum tran-
stitu de fatigatus: noua quadam genium suum uoluptate profundat: has interim
legat Serenissimi Regis Anglie ad clarissimos nostros principes & Illustrissi-
mi Herois mei ducis Georgij ad eundem epistolæ lectu haud quaq; indignas:
Meq; D'rx militem, pater filium ac pastor ouem commendatam habeat. Felici-
sime ualeat R.T.P. ex Lipsia. x. Kal. Ianuas. Anno domini. M.D.XXIII.

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DUSSeldorf



¶ Illusterrimis dominis Frederico dei gratia Duci Saxonie, Sacri Romani Imperij principi Electori, Landgrauio Thuringiae, & Marchioni Misniae, &
Ioanni ac Georgio eadem gratia Ducibus Saxonie, Landgrauis
Thuringiae & Marchionibus Misniae & cognatis amicisq[ue] nos sis longe omnium charissimis.



Llustrissimi atq[ue] Excellentissimi Principes Clarissimi domini,
cognatiq[ue] nostri longe omnium charissimi Synceram salutem
ac felicium successuum assiduum augmentum. Si quid fers incideret in quo admoneri me profuerit, pro animi uestri comperta
bonitate, certissimam spem concepi admonitionis uestre be
neficium nunq[ue] mibi defuturum esse. Quam ego rem, quum animum erga uestrum ex meo erga uos affectu metiens indubie mibi persuaserim, ingratus
admodum ipse mibi uidear, si in ea re, que non ad honorum modo uestrum, sed
fortunas quoq[ue] uebementer spectat, ego uicissim uos admonere negligarem.
Quid enim ad uos & tam potentes & in Christi cultum tam deuotos principes
aut propius spectare potest aut debet mouere uebementius quam cohibende fa
ctionis istius Lutheranæ studiū? qua nullam unquam in terras nocentiores ma
lus incepit genius, aut que maiorem perniciem sit illatura propediem, nisi boni
pijg[ue] omnes obſtiterint, & in primis qui plurimum & possunt & debent princi
pes. Non quod Lutherum talem censem qui uiris probis ac prudentibus possit
imponere, aut ea que scribit neciam esse tam impia ut ea bonorum omnium au
res exhorreant. Sed quod sciam nunq[ue] defuturam improborum hominum colluui
em, quibus ineptissimus quisq[ue], aptissimus est magister, & ut quicq[ue] maxime na
scitur absurdum, ita maximo exceptum plausu summo studio & contentione
propagent Nam quod ad ipsum pertinet Lutherum olim uisus est, nec indoctis,
nec malis hominibus, ut multa parum. bene ita quedam non omnino male scri
bere. Verum ista statim proficit impius, ut illicet multi perspexerint, quicq[ue]
unquam aut plausibile scripsit aut tollerabile, non alio fecisse consilio, quam ut
meliorum ostentatione uiam pararet peioribus, & prælito melle uenenum red
deret uendibilius. Quam rem successore perpetua nocentiorum semper dogma
tum adeo testatam reddidit. Ut hodie neminem esse unquam putem, cui scintil
la ulla maneat, aut in capite cærebri uut pictatis in pectore, qui non eum totum
cum suis insanijs ex animo prorsus ciecerit.

Etenim initio cœpit utcunq; disputatione, deinde irasci, paulo post incendi, postremo furere, iam in eo demum libro quo debacchatur in me, furias ipsas furore ac uesania fugare. Quo in libro si qd scripsisset usq; quod rem uideretur attingere, si quid omnino mentis miscisset amentie, si quid non absurdum prorsus effluxisset ei, quale uel casu solet mente mortis excidere. quanq; non adinodum decorum putem, ita me comparare, ut cum homine tali publicæ componat ac discussione, tamen quum rex & propheta David non censuit indecorum ante arcam foederis nudū saltare cum quolibet ipse certe non eram quenquam habitus indignum quo cum in gratiam religionis pro fidei ueritate differerem. Nunc uero quum nihil ad rem respondeat, sed rationum loco proferat mera deliria, alios cum illo congregati nec inhortabor nec prohibeo, ipse certe non committam, ut cum insaniente insaniam. Nam quisquis & equus lector & prudens libellum meum cum illius libro perlegat, is profecto facile iudicabit iam nunc Lutheri nenius satis superq; responsum esse. Quod si quis illi tam inique fauatur, ut mea uerba non sustineat inspicere, aut tam insigniter instupescat, ut collatis utrimq; locis non sentiat rem adhuc responso non egere, huic nulla unquam response satisfecero, nam qui que am illis qui nihil aut uelint legere aut possint intelligere præter Lutheri scurrilia iuria? Qui quum interim rem ad istum tractet modū, magna me affectit uoluptate. Siquidem initio certus eram rem quidē quam tuendam suscepere, suapte natura esse inexpugnabilem, alius uersus quam nec inferorum portæ possint præualere, sed imbecillitatis meæ conscientiæ, de meis tamen armis dubitabam. At nunc effecti hostis ut orbi toti inclaret, alterū, nempe aut ipsum esse prorsus imbecillum, aut meas rōnes admodum ualuisse, quas contra nihil inuenire potuerit præter insulsa scommata & prorsus insana conuictia. Quibus si me commoueri putat, egregie profecto fallitur. Etenim quantumvis ille me uocet insanum, uocat opinor plus millies, nunq; tamen tam insanus ero ut egre feram q; insanus uocer ab insano: itaq; aut mea me fallit opinio, aut istius in me ac regium nomen contumeliosa spurcitia, uos aut paulo magis q; me uiri clarissimi commouet. Solet enim generosos animos nobilium reuerentia quædam inter se colligare, qua uel in hoste, quum oderint ac persequantur hominem, personam tamen honorent ac reuereantur officium: nec generosus fere quisquam inuenitur usquam tam incivilis ac barbarus, q; uel inimicitijs illis adduci possit, ut scurrilem in modū linguae petulantia conficerat nobilem: tantum abest ut quisquam ea nobilitate ac generosa uirtutis inde le, qua mibi persuasi quemlibet esse uestrum, equo animo ferat, & principis et amici nomen uilissimis nebulonibus haberit ludibrio. Quod meum de uobis indicium uel is affectus confirmat imprimis, quem in memetipse sentio. Nam quum

ne tantulum quidem me tetigerint omnia, que deblateravit in me, perq; indig
ne tuli blasphemias illas quibus Augustum Cæarem, & ceteros Germanos prin
cipes, virulentissima lingua perfudit. Quos omnes in eius ipsius libelli frōtispi
cio, quem in meum nomen cuomuit, probro contumeliosissimo proscindit. Vuor
matiam inquit ingressus sum, etiam cum scirem mibi uiolatam esse a Cæsare fi
dem publicam, nam didicerunt principes Germanie, olim de fide laudatissimæ
gentis, nunc in obsequium idoli Romani, nihil magis quam fidem contemnere,
in perpetuam nationis ignominiam. Hæc tam virulentia in Cæarem ac princi
pes Germanos conuitia, quam falso ac flagitiose mentiatur os illud impudens
ac mendatorum fons perennis, uel illud indicat, quod hodie nisi mentiretur, qui
posset ista mentiri, non esset. Quis enim dubitat quam facile potuisset meri
sum reportare supplicium, si Cæsar id uoluisset ac proceres? sed quis illud non
dico Cæsar aut procerum quisquam, sed uel honesto loco natus Christianus ullus
in animum potuisse inducere, ut fidem uiolare publicam? ut illum, quamquam
publice fidei publicum hostem, per perfidum tolleret, ut odio (quod aiunt) no
centis, perderet innocētiā? Istud quum non Cæsar promissi obseruantissimus,
non procerum aliquis, quibus nihil antiquius honore ducitur, non honesto loco
natus Christianus quisquam (ut qui nihil non censeat post habendum fidei) potu
isset unquam cogitare, quis usquam uiuit, uere germaneque germanus qui ferre
possit nebulonem fraterculum, que perpetuam infamiam inureret nationi Ger
manice, ea tam impudenter quam mendacissime non cuiquam sui simili germa
no, sed proceribus omnibus germanie, atq; ipsi quoq; principum Germanorum
principi per con uitium exprobrare Cæsari? Demiror tali si a germani
ferant in isto, nos profecto quanto magis indiguamur, in tales ac tantos prin
cipes tantum licere fraterculo, tanto minus eius mendatijs mouemur: que par
tim Latine que legimus, partim Germanicæ, quod audio furiosus cructat in me.
Nam si quid maledictis illis immiscuit de cuius ueritate poterat, quisquis rem
non esset, aliquid fortasse dubitare, nunc in animum succurret lectoribus, ni
bil illius maledicentie credendum cui perpetuum institutū esse uideat, de prin
cipibus prorsus omnibus, at ipso etiam Cæsare mentiendi. Neque enim istud Lu
thero nouum est, omnia comminisci ac fingere, quibus in odium principum sce
lerate concitet atque extimulet populum. In quoā negotium promouendum sce
leratorum hominum cateruan iamdudum contraxit atque adiunxit fibi. Itaque nul
la unquam factio fuit sceditiosa pestilens nepharia, que sic religionem omnem
tollere, leges omnes obruere, mores omnes bonos corrumpere, res publicas om
nes euertere machinata sit, ut nunc ista coniuratio Lutherana, que & sacra om
nia prophana, & prophana contaminat, que ita Christum prædicat ut eius san

eramenta conculceret, ita dei buccinat gratia, ut arbitrij libertatem destruat, ita fidem extollit ut operibus bonis detrahatur, & inuehat peccandi licentiam: ita misericordiam subleuat, ut iustitia deprimatur, & malorum omnium causam ineuitabilem non in deum aliquem malum, quod Manachei saltē cōmenti sunt, sed in unicum illum uere bonum reiicit. Quae quum ad hunc modum impie diuina tractarit, uelut e cœlo deiecta serpens uirus effundit in terras, in ecclesia comouet discessioem, leges omnes abrogat, magistratus omnes eneruat, laicos infideli sacerdotes concitat. Vtrosq; aduersus pontificem, populos aduersus principes, nec aliud plane molitur, quam ut (quod omen auertant superi) germania primus populus tanq; pro libertate bellum indicat proceribus, deinde ut Christiani contra Christianos spectantibus, & irridentibus christi hostibus pro Christi fide ac religione depugnent. Quod si quis forte non credat ab uno homine nibili tantum unq; periculi nasci posse huic in metem uelim subeat Turchica illa rabies, que quum nunc tot per terras & maria se diffundens maximam ac pulcherrimam totius orbis partem occuparit, a duobus olim nebulonibus sumpsum initium, ut interim taceam factionem Bohemicam, que & ipsa, quis ne scit e quam exiguuo uermiculo, in quam immarem draconem, haud absq; magno germaniae male, quam propere adoleuit, ita procliue est, malam segetem nullo demerente credere, nec ullus unquam socio caruit ad nocendum, neq; tam imbecillus est quisq;, quin securo possit ac tanquam lusurum spectanti loetale uulnus insurgere. Quae res, quo minus contingat, in praesente negotio principibus omnibus admittendum est, ad uitentur autem, si rem pro leui non habeant, nec existiment dūtaxat esse scolasticam: sed quum & dei res agatur & hominum, dignam intelligent, cui Christiani principes ad nouant manus: Quod ut nullius non incumbit officio, ita potissimum incumbit cognati charissimi uestro, ut qui proximi estis periculis, & facili me (ut ferunt) potestis obruere, si nascenti malo propere catur obuiam, priusq; improbi per malitiam, & simplices per errorem in eum numerum ac robur coaluerint, ut facile cohiberi non possint. Cui ego rei prospectus uot pro uesta prudentia, & in Christi fidem obseruantia non dubito. Nam quum nulla possit heresis exoriri, quam uos fideles in deum principes non uelenter auersemuni, Lutherianam tamen scrici non potest, ut non præcipio quodam odio prosequamini. Nam licet homo uaniloquius non uno loco scribat se, in hoc electum a deo, ut hanc doctrinam, quam ille solam uocat Euangelicam, ad istum quo cœpit, modum spargeret ac prædicaret in mundo. Uesta tamen prudentia facile deprehendit, nec illum afferre quicq; cur Euangelica uerba credatur melius intellexisse quateres ecclesie sancte, sanctos doctores oës, quorum iste interpretationes omnes abigit atq; contemnit præ suis, & multa non ignoratis.

per manus ab apostolis olim tradita ubilibet hactenus obseruata ppetuo, quoru
iste nihil blasphemus non exsibilat. Ac haec animaduertitis, spiritus hominis ar-
rogans mendax ac maledicus q̄longe absit spiritu dei sancto, qui solet electis
suis inspirare ueritatem, lenitatem modestiam, et cum sui contemptu charita-
tem ac reuerentiam omnium. Postremo doctrinam eius uidetis praetextu prædi-
cationis Euangelicae meram esse Vniclyfficam, a qua uos cognati charissimi no
dubito, toto peccore prorsus abhorrere, ut quam germani proceres, atque in pri-
mis ut audio progenitores uestrī uehementer elaborarint extingue, sed quo-
niam serius aliquanto coepérat, prorsus exterminare non poterant: hactenus ta-
men profecerunt, ut eam uelut pnitiosam beluam intra quosdam Bohemiae ter-
minos uelut in speluncam clauderent atque cohíberent. Quae quum ita sint du-
bitare profecto no possum sedulo prouisuros uos, ne quam uestrī maiores belu-
am occluserunt, ea uestra incuria, sic reperiāt exitum, ut per Saxoniam prore-
pens, totam puadat germaniam, et afflatu noxiō inferum eructas ignem, illud
spergat incendium, quod germani toties uoluerunt sanguine suo restinguere.

Qua in re quāq̄ pro uestra bonitate uos tam propensos esse non ambigo, ut
neq; monitore uobis neq; hortatore sit opus, ego tamen pro meo in uos affectu
me contineare non potui, quin ad uoluntatis uestræ proutatem, et admonitiones
meas et hortationes adiungerem. Etenim quum nullum principem tam alienum
putem, quin ei mihi uidear id officij debere, ut quid in re possim, eius honori cō-
sulam uobis uiri dignissimi, ut id impensius exhibeam cognati que dam sanguini
nis inter nos necessitudo constringit, quandoquidem intelligo serenissimos ma-
iores uestrōs et stirpe clarissima regum Angliae progenitorum meorū esse pro-
gnatos. Quae cōmuniō stirpis et societas sanguinis, sic aninum meum afficit
erga uos, ut nihil aut cōmodi prorsus aut incommodi uobis possit accidere quod
ego mihi uobiscum nou existinem esse cōc. Quam rem quo magis ac magis
mihi p̄suasi, eo magis ac magis uos et admonere cogor et hortari. Imo p̄ omnia
uos obsecrare sacra, ut quam maxime potestis mature detis operam, ut execra-
bilis ista Lutheri secta coherenceatur absq; cede, cuiusq; si fieri potest ant sanguini
ne, sin id quo minus possit p̄uicax obſiſtit audacia, quoquo modo coherenceatur, ta-
men neq; pmittatis, ut leges, magistratus, principes, respub diuina deniq; atq;
humana omnia sic affūscant paulatim uileſcere, conculcari, proteri, ut inuale-
ſcentibus improbis, muſſitantibus bonis, eo tādem res pueniat, ut alteri p̄uerſe
malitiæ, alteri præposteræ patientiæ dcum aliquando uindicem atq; ultorem
habeat, cui piculo si uestra occurrat industria, pacate patriæ disculli ſcismatis
reſtitutæ concordiæ religionis cultæ ac perpurgatae, et apud homines eximiam
laudem et apud ſuperos immortalem gloriam conſequemini. Valete.



ITERAS HAS OBSIGNATVR
mibi uenit in memoriam Lutherū in suis aduersum me nemis ex-
cusare sc̄ quo minus ad reliqua respondeat impediri transferen-
do Biblio. Visum est igitur hortari uos, ut omnium rerum maxi-
me prouideatis, ne id permittatur facere. Nam ut bonum esse
non negem, in quavis lingua legi scripturam sacram, ita certe periculorum est
ex eius uerione legi, cuius mala fides fidem facit omnibus, id illi studium esse
ut bene scripta male uertendo peruerat, ut populus ea se legere putet in scri-
ptura sacra, quæ uiri execrabilis ab execrandis hauit hæreticis. Iten-
rum Valete uiri serenissimi atq; animo meo longe charissi-
mi, Ex regia nostra Grenuuici die. xx. Ianuarij.
Anno domini millesimo quingente simo
uice simo tertio.

Vester bonus Consanguineus & amicus.

Heinricus

TILL VSTRISSIMI PRINCIPIS AC
domini D. Georgij ducis Saxonie, Lantgrauij Thuringie ac Marchio-
nis Missæ ad præcedentem Regiam epistolam rescriptio.
v. 16

SE RENISSIMO AC INVIC TISSIMO
Principi Domino Heinrico Regi Anglie & Francie, ac
Domino Hyberniae Domino & Cognato
obseruando.



SERENISSIME ET INVICTISSIME rex
domine ac Cognate, cum primis mihi obseruande Salutem
& utriusq; regni tam caelestis quam terreni felicitatem
perpetuan & omnem quam possum operam. Inter multa que eo dic quo
tuae celsitudinis nuntius aduenit (aduenit autem pridie Calendas May)
allata sunt: Nihil obtigit, neq; optabilius, neq; laetius serenitatis tuae epi-
stola Patruelibus meis & mibi coniunctim adscripta. Partim quod indi-
caret memoriam mei residere apud eum Regem, qui & communis stirpis
sanguinisq; societae nobis sit iunctus (que necessitudo quo est antiquior,
hoc est familiae nostrae gloriose) & potentia, fide, constantia, authorita-
te, prudentia, iustitia, fortitudine, ceteris deniq; tum belli, tum pacis ar-
tibus Christianorum regum nulli sit secundus. Partim quod ea complecta-
retur, que, ut regem Christianae concordiae studiosum monere decorum est,
sic eadem illa summa cum alacritate sequi atque amplecti principum est
& nomine & re Christianorum. In quorum numero quum esse, censi, re-
perseuerareq; pro mea uirili studiucrim semper, literas tuae celsitudinis
huc pertinentes non sine summa quadam uoluptate perlegi. Primum
enim merito quereris Lutheranæ doctrine factionem ex paruis initijs
eo creuisse, ut eius studio non tam religionis Christianæ sinceras pa-
ssim uitietur, uerum etiam sacra prophanaq; omnia ueterum instituta quan-
tumvis uel necessaria uel honesta, abrogentur concilcenturq;. Quae res
haud dubie in Christiani populi certissimam perniciem exitura uideatur.
Etiam si Lutherus Euangelice doctrinæ titulum ubiq; seditionis suis con-
tibus prætexat, deinde pro animi uere regij magnitudine palam testaris,
priuatam iniuriam, qua dignitatem tuam regiam in libello insanis cōuitijs
plenissimo leserit te negligere, grauiter autem ferre, quod temerarius
iste similem coniuritorum petulantiam nec a Cæsare Augusto ceterisque
Germaniae heroibus abstinuisse sustinuerit. Qua audacia satis declareret,

B

hoc agere sese, ut omnium ordinum legibus institutis & diuinis & huma-
nis semel contemptis, per licentia uulgi ciuilibus & intestinis bellis Chri-
stianus orbis concutiat, atq; mutuis cedibus sese conficiat: Tum mirari
te non parum, si germani principes insignem adeo nationis sue ignominie
am sint perpe ssuri. Postremo, quia malum hoc nos propius attingit, nō mi-
nu amanter q̄ grauiter hortaris, ut, cum locus adhuc medicinae sit, adole-
scenti ctiā num morbo summa ope ob sistamus. Id quod deo gratū, ecclesiæ
Christianæ salutare, nobis etiam ac nostræ ditioni honorificum sit futu-
rum. Ad hæc si prolixius fortasse, quam pro regiorum negotiorū amplitu-
dine, quantum ad me attinet respondero, ueniā hanc dabit Regia tua sub-
limitas primum meo erga dignitatem tuam studio, cum qua uel per lrās
diu colloqui uoluptati mihi est, de ñde rei magnitudini. Nam cū cauſa hæc
ardua fit, & cum mortalium, pene dixerim, oīm periculo coniuncta, breui
epistola de ea p̄scribi ad tantum regem uix potest. Enimuero ut saeculis
iam aliquot nulla extitit in religione Christiana factio, que & honestio-
ri specie primum imposuerit multis, tum doctis tū cordatis uiris, & omni
opinione celerius serpendo radices suas in cunctas penæ Christianæ ditio-
nis regiones propagarit, ita nulla unq̄ solicitude animum meū magis tor-
sit, quam & eiusdē illi.us, cum primū suspecta uideretur, probibēde, & po-
stea cum passim grāffaretur, cohibende coercendaeq; Nam quartus iam ag-
gitur annus, quod Ioanni Eccio, Lutheru, ac Carolostadio primis pugnē tā
infelicis ducibus, decertis capitibus Lutheranæ doctrinæ disputandi locū
in urbe Academiaq; nostra Lipsiensi non alio consilio dedi, quam ut utri-
usq; partis rationibus diligenter excussis ueritas pateferet et rebus, Pa-
risiensis Erphordiensisq; Academie iudictaria auctoritate compositis,
omnia contentionum seminaria tollerentur. Sed Lutheru quia, ut rei pro-
pessus satis indicauit, in iudicium sententia parum spei ponebat, & ptur-
banda omnia libidine ardebat, anteuerterit iudicij calculos, & ante uictori-

am editis varijs generis libellis triumphos ostentauit. Et sane si in mea
manu fuisset, nequaquam libellorum post ab illo conscriptorum editionem
tipographis impunem permisissim. Statim enim sensi quid homo factiosi
us moliretur, & quorsum se tandem, si non obfisteretur prorepturus esset.
Nam cum uideret omnibus bonis hoc unice in uotis esse, ut Ecclesiastici
quidam abusus ad pristinæ religionis severitatem corrigerentur, hac ue-
luti persona tectus magno spectatorum plausu in orbis pene uniuersi thea-
thro tragœdia sue principium dedit, uerum haud ita multo post, cum ea
conuelleret tentaret, que ne moueri quidem religione nostra salua tuto
possunt, prudentes uiri facile sub pelle ouina latere uulpem deprehende-
runt. Iam uero poste aquam inaudita hominis ipsius audacia eo profecit,
ut non modo mediocres viros eruditionis pariter & integritatis opinio-
ne celebres petulanti calamo inuaderet, uerum etiam quod nemo facile ex-
pectasset in Anglia regem omnium humanorum ornamentorum laude
spectatissimum maledicentiæ sua frenos laxaret, certissima tum perscri-
cta frontis, tum malitiosa mentis argumenta omnibus de se dedit.

Ac uero nullus uerbis consequi queam, quam impudentis eius libelli scri-
ptionem inique tulerim. Continuo enim, ut de ea resciui, & editis,
ne inditione mea uel uenderetur, uel legeretur, caui, & in bibliopolam,
qui primus hic uenue exposuerat, acerba carceris multa animaduerti.

Nam quanto magis librum tuum quo sacramentis in ecclesia Christi rece-
ptis contra L V T H E R V M non minori sententiarum grauita-
te, quam uerbo. uum elegantia patrocinaris probabam, tanto magis sedi-
tiosi monachi maledictis ueritatis patrocinium retaliari ægre ferebam.

Q V A N T V M autem probauerim tuam lucubrationem at-
q; utillem cunctis censuerim, uel hinc satis liquet, quod eam ex L A T I
N O sermone in G E R M A N I C V M transferri,
atque perditionis meæ T Y P O G R A P H O S denuo excudi

procuraui. Verum autem esse & hic comperi quod uulgo dicunt, nullum librum tam malum esse, quin aliqua ex parte prospicit. Nam cum Lutheri libellus omnium conuictiorum impudentissimorum generibus, uel ut ulceribus totus putat, tamen, quia nulla rationum soliditate nititur, satis declarat (id quod & serenitas tua scribit) authorem suū præter furiosam quādam maledicentiam quo se tueatur non habere. Quo loco non possum nō prudentiam istam tuam singularem, & animi moderationem laudare, ut qui cum tam uili & solidorum argumentorum armis destituto, uerum lingue tantum petulantia instructo denuo certamen suscipere, neq; regio nomine dignum, neq; ad caussam uincendam necessarium putas. Neq; uero tuam fallit celitudinem coniectura, quam ex animo tuo de Germanis principibus facere te scribis. Nam ut pro genuina quadam uirtute animiq; regij bonitate maledicta in Regiam excellentiam congesta fortiter contensis. Imperij uero Romani proceres atq; adeo imperatorem ipsum pro fidei pub. dat & uiolatoribus ab isto traduci intollerabile putas, ita principis Germani, ut quisq; generosissimus est, iuriis tuæ dignitati illatis uicissim non minus dolent, quam si illæ in suum ipsorum caput incidunt. Sane quantum ad me pertinet, iniuriarum tela quæ aduersum principem emittuntur, ea non tam in unius hominis personam, quam in ipsum principem omnium atq; adeo uniuersæ nobilitatis ordinem dirigi existimauerim. Tantum ab est, regum serenissime, ut non si potuisse, libenter iniuriosi scripti editionem reprimere uoluerim. Porro non mediocriter, etiam animum meum leuat, quod cum præ cæteris Germaniæ proceribus in Lutheri scriptis aë concionibus nunc apertus nunc obscurus impetrat, accidat hoc mihi cœcum hæroibus alioqui laudatissimis Carolo Cæsare eius nominis quinto, in cuius uerba iurasse gloriosum mihi duco, & Henrico octavo potentissimo An= glorum rege, cum quibus equidem malum uituperari, quam cum Lutherana colluic laudari. Neq; enim, quo minus probi Christianiq; principis officium facere pergam, iste ullis uel minis uel conuictis efficiet. Atq; utinam

probabile non esset, quod, ad Mahometi Hussiq; exempla respiciens, me-
tuendum Regia existimat celitudo, ne si nō pernitosae segetis initij ad-
mota falce occurratur, postea malum robore accepto extirpari non possit
Sed ut illorum alter totam Asiam atq; adeo bonam Europe partem, alter
Bohemiam ab ecclesia alienauit. Ita nunc Lutherus primum Germaniae po-
pulos, mox & reliquas Occidentis nationes noua quadam tyrannide per
seditiones inuecta sic occupet ut postea depelli non possit. Quanq; autem
quid alij Germania p̄incipes facturi sint, certo scire nequeam (Spero pro
fecto quemq; pro se suo officio functurum) & incendium hoc late adeo iā
sparsum sit, ut exterorum etiam hoīm animos corripuisse feratur, tamen
non committam, ut quo minus eius mali flamma restinguatur, p̄ me stetis-
se aliquis recte queri possit. Nam cum Lutherus ipse in terris impio meo
subjectis domicilium non habent, eas quidem longe lateq; fugiat & extra
meum territorium degat non licet mihi quicq; in eum statuere. Atqui hoīs
scripta pinde atq; nocentissimos hostes a ciuitatibus pariter & finibus
meis, quacunq; ratione datur aberceo. Id quod diligenter adeo persequor,
ut cum nuper p̄aeter expectationem meam exijsset germanica illa Noui
testamenti translatio (cuius epistola quoq; tua mentionem facit) eius libri
exemplaria omnia quotquot importata ac diuērita fuerant, mea ipsius pe-
cunia ab his, qui emerant, redimerem. Nimirum quod iam tum animus hoc
mihi dictaret, & diligentior librorum inspectio satis indicaret, ea gratia
susceptam a Luthero hunc uertendi laborem, ut hac arte uniuersam scri-
pturam suo commodo translatam, ad dogmata sua confirmanda detorque-
ret. Nam quia uidebat fieri non posse, ut absurdâ illa sua Paradoxa uete-
rum Theologorum, a quorum doctrina pariter & uita procul abest Luthe-
rus, scitis astrueret, scripturæ simplicitate aliquoties in alienum atq; adeo
repugnantem sensum, flexibili ad eum modum abuti instituit. Quod autē
consilium callidius optiusq; ad simpliciorum animos captandos capere po-
tuisse, quam ut uniuersam noui instrumenti scripturā nouo genere tum

interpretationis tum annotationis in suum iudicium deflexam, uelut ha-
bitum esca teatum uulgo porrigeret? Alioqui aut nullus aut non nisi stupi-
fissimis persuaderet, ut bonorum ita & malorum necessitatem adeo per-
dere. Quod dogma cum in philosophis suis ethnici hoies non tolerarint,
nos Christiani quibus fidei doctrina clariori ueritatis luce affulxit in Lu-
thero amplectemur? Quod si semel cum Lutheru recipimus omnia euenie-
re necessario, iam sene omnis humanae rationis uis, omne consilium, ius de-
niq; omne, quo uel premium bonis uel plenam malis decernitur frustra
esse conperientur. Nam quantum ego intelligo, hic est uberrimus Luthe-
ranorum errorum fons, nimirum prædestinationis ad Philosophorum quo-
rundam fatum male intellecta, unde reliqua dogmata ceu riui quida pro-
marunt, de arbitrio nullo, de ratione homin cœca, de bonorum operum
neglectu, breuiter de abiectiis omnibus tam ceremonijs quam alijs que
humano consilio sunt instituta: Que cum talia sint, ut uniuersam mundi
republicam, redum Germaniam nostram euertere possint, & iam olim
in Philosophis ac Vniclefficis sunt damnata pariter & publica omnium dea-
testatione explosa, rectissime mones optime Rex, ut omni cura prohibe-
tur, aut saltem intra Bohemiæ montes inclusa coerceantur. Sed enim pu-
dendum nobis esset, si cum maiores nostri Vnicleffice doctrinæ contagio-
nem omni armorum genere, atq; adeo fortuarum uitæq; sue periculo à
subditis suis auertere gloriosum sibi duxerunt, nos, qui ut in illorum ima-
perium sic & uirtutem succedere debemus, negligentia nostra idem ma-
lum nunc repullulascere pmitteremus. Præsertim cum sole meridiano cla-
rius pateat, nihil minus credibile esse quam quod isti iactant Christi spiri-
tu ad scribendum impulsum Lutherum. Quid enim, ne quid in illum scri-
bans durius, communie est spiritui Lutherano cū spiritu Christi? Christus
maris uitudinem ac patientiam ubiq; prædicat. Lutherus, præter quam quod
iracundiae maledicentiae & similium affectuum modum ipse facit nullum,
& rebellionum seditionumq; semina in uulgo spargit. Quamobrem non

8

et quod sublimitas tua dubitet uel de meo erga se studio sincerissimo,
uel de perniciose factionis huius cohibendae solitudine. Nam et pro sin-
gulari uirtutum tuarum admiratione mea proq[ue] consanguinitatis antiquae
iure gratificari priuatum studebo, et quecumque ad Christianae ecclesiae tran-
quillitatem pertinere uel ipse sensero, uel te tuique similibus monentibus co-
gnouero, haec omnia quo ad eius fieri potest, sedulo procurare summa ope
connitar. Et utcumque res exeat, illud certe efficiam, ut si aliquorsum quam ad
totius ecclesiae utilitatem euadant omnia, mihi non tam uoluntatem quam
facultatem defuisse omnes intelligant. Bene ualeat Regia tua celsitia
tudo Regum mihi charissime, in Iesu Christo seruatore nostro, qui illam
a cunctis calamitatibus semper immunem et omni ornamentorum gene-
re cumulatissimam conseruet atque tueatur. Meque sibi habeat commendan-
tum. Ex Ciuitate nostra Quedelnburg Septimo idus May, a Christo nato.

A N N O M. D. X X I I .

Tuus Georgius Dux Saxoniae &c.

Paulus Henricus Bonnibarys
Expositio. ad. anniversarium. et. festum. S. Petri.
Bonniensis. Mainensis. Et. Gallicanae. Sigillatae.

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

11. **U**nus deinceps oblate
propter eum. **U**nus ab aliis. **U**nus ab
dipalano pani hunc ut cibam et
a statim q[uod] sit coquere ut cibis
eue in vobis. **U**nus ab palau et posse
aut reuertere. **U**nus ab omni. **U**nus ab
miseria quam in constante et
miseria eiusdem. **P**ictoriis sed tunc
apparet. **R**adixnece apparetur et
miser. **L**asternore libra est et
phestu et alia cono hunc affite
in vobis et pecunia decissione
et p[ro]p[ri]etate sua remoto ista
est sunt inuenit hunc libet et
in dipalano mense. **S**ime. **U**nus
part dicitur amio et autem resulut
meo pleno sola remanserat
int spacio quatuor et decubillit per
dine octauumq[ue] annos. **U**nus
feste dicitur. **U**nus a primis opa-
tum et ratiocinatio eius et decubillit
naturam vero ad cuiusq[ue] dicitur.

BRUNNEN
HEINRICH WERNER
1890
WILHELM HEINRICH

Restauriert: Dez. 1963

BUCHDRUCKERIA STATT
HEINRICH LIESEN
REINHOLD FRIESE
DÖSSELICK, HAMBURG



the scale towards document

meo erga se studio sincerissimo,
nde solicitudine. Nam & pro sim-
ea proq; consanguinitatis antiquæ
acūq; ad Christianæ ecclesiæ tran-
alte tuiq; similibus monentibus co-
test, sedulo procurare summa ope-
re efficiam, ut si aliorum quam ad
ia, mihi non tam uoluntatem quam
Bene ualeat Regia tua celia
Christo seruatore nostro, qui illam
em & omni ornamentorum gene-
atur. Meq; sibi habeat commendatione
Septimo idus May, a Christo nato.
D. X X I I .

Georgius Dux Saxonie &c.

